

VITA
INNOCENTII IV.
PONTIFICIS ROMANI,

QUAM
AUSPICIS

SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,

DN. FRIDERICI,

HASSIARUM LANDGRAVII, RELIQ.
ACADEMIÆ MARBURGENSIS RECTORIS
MAGNIFICENTISSIMI,

PRÆSIDE

JOH. ADOLPHO HARTMANN,

HISTOR. ET ELOQ. PROF. P. O.
PLACIDÆ DOMINORUM COMMILITONUM
DISQUISITIONI

ANNO R. S. MDCCXXXVIII. DIE VIII. MARTII,
IN PHILOSOPHORUM ACROATERIO

SUBJICIET

JOHANNES JACOBUS NEUBER,

HASSO - BRACHENSIS,
RESPONDENS.

MARBURGI,
TYPIS. PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYPOGR.

29.
a. XLVII. 57.

VITA
INNOCENTII IV
PONTIFICIS ROMANI
SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
DN. ERIDERICI
HASSIARUM LANDGRAVII REGIS
ACADEMIE HARBURGENSIS RECTORIS
MAGNIFICENTISSIMI
JOH. ADOLPHO HARTMANNI
HISTOR. ET ELOG. PROF. P. O.
PACIS DE DOMINORUM COMMILITONUM
DISQUISITIONI
ANNO R. S. MDCCXXXVIII DIE VIII MARTII
IN PHILOSOPHORUM ACADEMIA
SUBJICIT
JOHANNES JACOBUS NEUBER,
HASSO-BRACHENSIS
RESPONDENS
M A R B U R G I
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MALLERI, Acad. TYOG.





VITA INNOCENTII IV.



Quanta fuerit Germaniæ nostræ Regum non in Italiam modo, sed urbem ipsam Romanam, auctoritas, quam fundata in ipsum Pontificem Romanum majestas, illustrissima docent, Caroli M, Ottonis M., Henrici III. aliorumque facta, ut tanto dignissima fastigio, ita ab ipsa æquitate, communi orbis Christiani consensu, agnita & probata. Quam vero misere ea ipsa Seculo XIII. convulsa fuerit, & Friderici II. temporibus tantum non protrita & proculcata, quotquot sunt Scriptores, a candore commendandi, omnibus loquuntur paginis, hoc uno inter se discordes, quod gravissimam illam Imperatoriæ Majestatis ruinam Suevicis nonnulli Imperatoribus, & Friderico imprimis II, adscribant; alii vero hæc ipsa, tristissima sane, Germaniæ fata pontificum Romanorum artibus & consiliis, ab omni religione Christiana non tantum, sed & saniore

A

saniore

fanioze politica, remotissimis, suo se jure censeant posse impu-
tare. Nos, nullis, ut sapientem decet, præoccupati præju-
diciis, ipsas temporum istorum res, a Pontificibus gestas, ex
Scriptoribus fidem omnem promeritis haustas, prius contem-
plabimur, ex his demum id formaturi judicium, quod ipsa
nobis historia, eaque fide omni digna, persuaserit, & nunc
quidem, dimissis in alia tempora aliis Pontificibus, ipsam *Inno-*
centii IV. vitam sub examen vocabimus, ab omni partium
studio remoti.

§. I.

Antiquam & Genuenses inter Optimates una cum tribus
aliis præcipuam esse Fieschorum, quam alii Flischorum, alii
Fuschorum dixere, familiam, concors est Scriptorum testimo-
nium, utpote quæ, compluribus Viris famigeratissimis orna-
ta, in ipsas sese Gallias diffudit (a) jam ab antiquis tempori-
bus Comitatu Lavagni dotata, & in Johanne Ludovico Ann.
1547. ad supremum Reip. Genuensis imperium ausa aspirare.
Ex hac Seculo *XII.* exeunte editus est *Innocentius* noster, a
parentibus familiari huic genti *Sinibaldi* nomine in ipso bap-
tismate appellatus. Destinatus ab iisdem ordini sacro, quin ad
omnes scientias artesque imprimis politicas educatus sit, dubi-
tare prohibemur, cum quod constans ea fuerit gentis hujus so-
licitudo, ut filios summis in Ecclesia honoribus præpararet, id
etiam gloriæ promerita, ut Centenos & ultra Archiepisco-
patibus aut Episcopatibus ornatos, imo duos Romanos Pon-
tifices tantis viderit honoribus amplificatos, tum vero, quod
Sinibaldus per varios honores ecclesiasticos progressus, & *Fri-*
derico

(a) Factum id a Scipione Fieschi, qui cum Catharina Medicæa in
Galliam venit, & in regno hoc familiam hanc propagavit. Ad
quam etiam pertinuit, Comes illa Fieschi, cujus meminit *Bvssy*
Rabutin *Histoire amoureuse des Gaules*,

derico II. carus fuerit, (b) & Presbyter Cardinalis, titulo S. Laurentii, fuerit renunciatus, Episcopus deinde Sabinen-
sis creatus, & Cœlestino IV. demum in papatu datus fuerit
successor.

§. II.

Neque vero *Sinibaldi* electionem, si ætatis istius faciem
contemplemur, astutior improbabit Politica; qui enim Impe-
rium tum regebat *Fridericus II.* Siciliae utriusque Rex & am-
plissimarum in Italia regionum Dominus, jarium tantæ maje-
stati debitorum callentissimus erat, &, qua poterat ratione,
ea ipsa, invitis etiam Pontificibus Romanis, conservare adnite-
batur, potentia insuper & rerum gerendarum nervo abunde
firmatus, & *Honorii III.* & *Gregorii IX.* fulminibus non semel
exagitatus.

(b) docet id *PLATINA* aliique, annon vero capta ab Imp. Genuen-
sum classe alieno ab eodem animo esse cœperit, vix licet dubitare,
præcipue cum *MATTHÆVS PARIS* ad an. 1241. diserte dicat:
mortuo Gregorio, cum decem cardinales in curia existentes tracta-
sent de electione novi pontificis, duosque cardinales ab Imp. captos
tantisper libertati reddidisset Imp. Quinque cardinales elegisse sex-
tum Galfridum Mediolanensem, cui electioni congratulans favebat
imp; inter eos fuit *Sinibaldus* noster, qui Romanum elegerant, cui
tamen electioni sese opponebat Imp. quod infamem ipsum haberet
tum propter persecutionem universitatis parisiensis, quando Roma-
nus hic etiam *Reginam Gallia* corrupisse dicebatur, tum quia huic
Romano imputabatur, quod fovisset dissidium inter papam defun-
ctum & imperatorem. Nos certe non dispicimus, qua ratione is,
qui in partes hostiles transit, amicus adhuc queat existimari. Certe
ipse *PLATINA* se partibus favere non obscure innuit, dum fatetur:
Fridericum II. audita *Sinibaldi* electione suis congratulantibus respon-
disse, *Sinibaldum* ex amico optimo in hostem acerrimum ob ponti-
ficatum, non utique nunc adeptum, sed olim defensum, mutatum
esse. conf. not. d.

Imo cum Gregorius IX. publicata An. 1240. Kal. Junii bulla, eaque Archiepiscopo Moguntino ejusque suffraganeis inscripta (c) Imperatorem bestiam blasphemiam, de mari ascendentem, dicere non erubisset, plenam nominibus, quæ pedibus urfi & ore leonis desinens ac membris formata ceteris sicut pardus, os suum in blasphemias Divini nominis aperiret, Tabernaculum ejus & sanctos, qui in coelis habitant, similibus jaculis impetere non omitteret: imputaverat eidem Ismaëliitarum gymnasia, animos interimentia ab eodem constructa; Regem pestilentiam appellarat, qui dixisset a tribus Baractoribus, Jesu Christo, Moysse & Mahomete totum mundum fuisse deceptum, affe-

(c) epistolam hanc Moguntino inscriptam non miramur, quod enim in ea atrox illa calumnia, atque si imperator a tribus impostoribus orbem deceptum esset dixisset, legatur, Archiep. huic ea Epistola inscribi debuit, quod is facilius fabulæ hujus auctorem Henricum Rasponem Thuringiæ & Hassiæ Landgravium ea dere convenire posset & consulere. Nos ut famosum illum: *de tribus impostoribus*, librum inter fabulas merito habemus cum MENAGIO; conf. Menagianorum Tom. IV. pag. 374. ita & dictum illud nunquam ex Imp. ore auditum sentimus. Potuit fateor Fridericus, cum an. 1235. hic Marburgi corpus Elisabethæ, Sanctis adscriptæ, veneraretur, indeque ad comitia Francofurtana abiret, tot turbis a pontificibus afflictus in ipsos pontifices loqui acerbius eosque impostorum nomine, qui mundum suis doctrinis fascinant, insignire, id etiam de Judæorum pontificibus & Mahometanorum Mussi non sine veritate asserere, At impias illas voces ita a se amolitur Imp. ut vel eas de illo suspicari velle nefas existimemus. Paris est ponderis illa bestiam nominibus plenæ allegoria, quæ ex eo ortum traxit, quod Fridericus plures nomini suo titulos adscriberet, seque Romanorum Imp. & semper Augustum, Hierusalem & Siciliæ Regem diceret. Quis enim tam ab omni est ratione alienus, ut pluribus utentes Regnorum Regionumque titulis hoc audeat nomine insignire, aut eisdem etiam hac imagine expressos vel somniet quidem?

asseruissetque nihil aliud credi debere, nisi quod potest vi & ratione naturæ probari, his calumniis adeo non fuerant in Fridericum excitati Germani, ut teste ALB. STADENSI: Episcopi Teutoniæ Papæ rescriberent, ut pro scandalo ecclesiæ devitando, de pace inter se & Imperium cogitaret; ipse vero Fridericus parum adeo iiserat territus, ut Longobarbardos fortiter impugnaret, procedensque plurimas civitates Papæ Viterbium usque non tantum occuparet, sed & Regibus & Principibus scripto se excusaret, contenderetque, Papam ipsum esse belluam Apoc. VI. imo Antichristum, draconemque magnum, qui seducit universum mundum; omnes etiam aditus, Romam ducentes, occuparet, euntes ad curiam comprehenderet affligeretque. Quæ omnia electo Cœlestino IV. (d) cessarant, teste STELLA, adeo ut Fridericus, dimissa ecclesia, contra Mauros transire decerneret, eo autem mortuo, novam metuens tempestatem Imperator expeditionem hanc defereret suisque rebus invigilaret, callidissima jubebat providentia, ut is demum renunciaretur papa, qui tantis rebus aptus esset ex omnium voto conficiendis & imperatori opprimendo unus sufficeret.

§. IV.

Hinc sane effectum est, ut ab anno 1241. ad annum usque 1243. sedes pontificia vacaret, imo Cardinales ipsi, variis in locis latitantes ab ipso Imperatore ad novum eligendum

A 3

ponti-

(d) Galfrido Mediolanensi, Imperatori probato, sed ætatis confectæ homini, & qui vix XVI. dierum spatio Romanum obtinuit pontificatum, idque ut MATTH PARIS. innuit, veneno à medio sublatus, utpote qui Imperatori carus erat & optatus. Huic suffragium quidem suum Sinibaldum nostrum denique dedisse vix dubitamus. an tamen ex eo vera aliqua cum Imp. amicitia aut non potius fraudulenta dissimulatio elici debeat, nunc quidem in medio relinquimus.

pontificem non tantum beneficiis & minis cogendi essent, (e) sed &, teste P A R I S. ad an. 1242. Imperator congregato exercitu Romam magna ex parte obsideret, ut eos, qui schismatis fautores esse videbantur, castigaret, imo cum cives suam purgassent innocentiam, & Cardinales, tam locis, quam cordibus dissidentes, diversis in urbibus latitare asseruissent, edicto juberet, ut omnes possessiones & Ecclesiæ Cardinalium ab ipso exercitu expilarentur. Quod edictum cum an. 1243. in Albania executioni mandaretur, demum Cardinales significarunt Imp. humiliter deprecantes, ut parceret iræ Rex, & juberet cessare grassatores, se secundum præceptum ejus & desiderium quantocyus idoneum Romanum pontificem renunciaturos. Hoc ipsum cum & Galli missa legatione vellent, aut se sibi pontificem electuros declararent; demum eodem anno 1243. die 24. Junii Anagninæ *Sinibaldus* papa creatus & die Apostolorum Petri & Pauli eodem in loco (f) confirmatus & *Innocentius IV.* appellatus fuit. §. V.

(e) MATTH. PARIS. ad an. 1242. diebus iisdem Imp. significavit Cardinalibus corpore dispersis & animo dissentientibus, ut in unum convenientes Papam eligerent. Asserebat enim in hoc eorum crimine etiam ipsummet infamiæ notam non minimam contraxisse. Credebatur enim a multis, veritatem rei ignorantibus, quod ipse principaliter vacationem sedis apostolicæ procuraret. At ipsi cardinales non adhuc inter se scintillantem sub cinere caritatis igniculum invenientes, nec concordēs, nec convenientes pontificem eligere voluerunt. Imo cum captivos adhuc prælatos libere abire ex cardinalium voto jussisset imperator, cardinales adhuc obstinati & in dissensione & odio mutuo permanentes & imperatorem quasi pro deluso habentes nec adhuc voluerunt convenire, cum tamen, liberati nuper a carcere imperiali, in verbo veritatis promississent imperatori, ut ipsi efficaciter pacem ecclesiæ & imperio convenientem & sedi papali consilium pro posse suo procurarent.

(f) Docemur id a MATTH. PARIS. qui Innocentii nostri in causa Episcopi lincolniensis & Monachorum cantuariensium definitionem decimo Calend. Sept. Anagninæ datam exhibet.

§. V.

Erat eo tempore (g) in Italia Balduinus II. ex Latinis Constantinopolitanorum Imp. uniceque in eo laborabat, ut Latinorum ope & auxilio omnibus, Græcorum olim imperio subiectis, ditionibus potiretur, cumque eo fini impetrando maxime censuisset idoneum, si novus sufficeretur papa, a Friderico facile impetraverat, ut captivi liberarentur, nunc vero renunciato *Innocentio IV.* omnem in eo ponebat operam, ut ea, quæ Imperatorem inter & Papam gliscebant, dissidia funditus tollerentur, restitutaque Italiæ & Imperio pace, tanto majoribus ipse viribus posset instrui, quo Græciam, suam subditionem redactam, cum ecclesia Latina conciliaret. Propositum sane! quod *Innocentius*, si solius ecclesiæ suæ spectasset commoda, imo, si ex proprio Systemate sentire voluisset, in salutem Græcorum etiam cum jactura suorum in Italia commodorum omnibus debuisset viribus promovere.

§. VI.

Neque vero hæc non vidit *Innocentius*, potius, teste PLATINA, aliisque, postquam, pontificium habitum indutus Romam venisset, peractis, quæ de more in consecrandis coronandisque pontificibus fieri consueverunt, de pace cum Friderico ineunda mentionem fecit, Balduino Græcorum Imp. interveniente, ut ait STELLA. Qui subdit: *sed cum didicisset sibi ab eodem Friderico insidias paratas esse, subito Genuam cum duabus & viginti triremibus, a suis concivibus missis, profectus est; ubi magno omnium applausu susceptus, inde in Franciam navigavit.* Cui consentiens PLATINA, cum quatuor mensium spatium concordæ icendæ insumtum scribat, subjungat vero, compertis insidiis fugisse in Franciam *Innocentium*, majus vero, atque IV. mensium, spatium
inter

(g) STELLA in vit, Innoc, PLATINA aliique.

inter electionem & ejus fugam intercesserit, nostrum erit ea, quæ interea acta sunt, fide aliorum Scriptorum cognoscere, quo veram fugæ & dissidii illius causam intelligamus.

§. VII.

Docemur sane a MATT, PARIS. ad an. 1243. Viterbienses cum partibus adjacentibus conversos fuisse ad Romanos, qui papæ causam confovebant, & se suamque civitatem tradentes, confugisse ad Reinerum Viterbiensem Cardinalem, ut ipsius consilio & auxilio Romanis confederati, in hostes confurgerent fortiores. Quo ipso Reinerio diligenter procurante subito & clam elaboratum est, ut adventantes Romani in multitudine gravissima, omnes custodes Imperiales prudenter occupatos Romam incarcerandos miserint, iisque suos fideles tam Romanos quam Viterbienses subrogarint, ita ut, penitus imperatore contempto, Romani Viterbienses & hi Romani viderentur. Quæ ipsa urbis hujus jactura cum Imperatori, eandem occupato Viterbio reparare cupienti, novam attulisset cladem, Fridericumque Pisas versus fugere coëgisset; verba sunt MATH. *denigrata est fama ipsius & sinistro susurro divulgatum, quod nunquam divina officia audire dignabatur, vel orare, vel personas ecclesiasticas digne venerari, vel in fide catholica sane loqui vel sentire, a concubitu muliercularum Saracenarum abstinere, (h) imo potius tam Saracenos, quam alios infideles in terram Imperii vocare, & urbes construere permisit munitissimas, imo, ut paulo infra subjungit: qui oderunt ipsum Imperatorem, extulerunt caput, & pro jacturis*

(h) de Sinistro hoc rumore WEISMANN H. E. Sec. XIII. res hæc fuerat, quod mulieres quasdam saracenas, variis artibus ludisque delectantes aulam, in famulatio suo aulico habuerit Fridericus, quas vero, quam primum aliquid inaudivit de calumniis inde coortis, statim ab aula removit ac dimisit. Verum sic agi solet, ubi aut odium linguam regit, aut propria alios metimur decempeda.

ris suis, quibus affectus fuerat, exultaverunt & gavisi sunt valde. Hisce sane in circumstantiis Innocentio secundissimis de pace tractatum esse inter Ecclesiam & Imperatorem, candidissimus idem scriptor fatetur. Qui non obscure prodit, quibus pax illa conditionibus Imperatori sit oblata, ut nimirum ecclesiasticæ censuræ totum se permitteret, a gratia aut & voluntate unius Papæ fortunam, quam Papa voluisset, habiturus.

§. VIII.

Hæc enim non ipsi tantum sibi, sed & toti imperio cum perniciosissima cerneret Imperator, teste MATH. noluit aliquo modo jurare, ut staret ecclesiasticæ censuræ absolute, nisi præcognitis causis, & prævisa via & omnibus conditionibus; nec quomodolibet quædam acquisita, ad imperium jure antiqua spectantia, resignare. Potius cum videret, ut idem MATH. loquitur, papam nequaquam ipsi velle parcere, nolens stare mandatis ecclesiæ absolute, jussit vias portus & pontes arctissime custodiri, nequis portans pecuniam, quam scivit Romanam curiam insatiabiliter sitire (i) posset transmeare.

B

§. IX.

(i) Insatiabilem illam auri cupiditatem loquitur MATH. dum ad An. 1244. memorat a novo Papa missum in angliam novum pecuniæ extorrem, Martinum, instructum potestate resistentes suæ voluntati multipliciter puniendi, qui tamen, ad opus clericorum & consanguineorum papalium reditus postulans, indignum judicavit reditum aliquem suscipere, nisi triginta marcas aut supra valentem. Profecto quam atrox ea fuerit exactio, vel inde patet, quod ordines Regni, teste Eodem, Regi conquesti jugum servitutis pontificiæ excutere velle visi sunt. Liquet ea pecuniæ cupiditas ex eo etiam, quod Innocentius Davidem Nortwalliæ Principem a fidelitate Regis anglia exemptum Dominio suo voluit mancipare erga annuis quingentas marcas. Quæ in Germania egerit Albertus a Beham fuisse describit AVENGINVS lib. VII. n. 24. & seq.

§. IX.

Nihilo tamen minus Imp. ut a se nihil desiderari pateretur, quod ad confirmandam se inter & Papam amicitiam conferre posset, & tanto majori cum efficacia irruentibus Tartaris non solum, sed & Saracenis in Palæstina atrociter sævientibus, resisteret, amplissimas æquissimasque pacis conditiones *Innocentio* offert, promissa Comiti Tholosano, Petro de Vineis & Thaddæo de Suessa speciali & plena potestate jurandi in animam Imp. quod staturus esset omnibus mandatis Papæ, ratumque habiturus & firmum, quidquid super hoc legati duxerint faciendum, salva tamen ei sint honores & jura sine aliqua imminutione imperii & regnorum suorum. Ut fusc ea memorat MATTHÆE. PARIS. quod ipsum Imp. datis ad Richardum Cornubiæ comitem literis disertius testatur, se omnia pro gloria Christianorum facturum, scribens: dum, pacatâ ipsi Italia, rebus & juribus, quæ proximi parentes tam in imperio, quam in regno pacifice tenuerant, in pace dimissis, tantis rebus par fuerit.

§. X.

Quod vero *Innocentius* moleste graviterque ferret, a Friderico curari, ut ejusdem filia magno cuidam Græcorum principi desponderetur, quod ea affinitate rebus Palæstinæ tanto certius posset consulere, Papa vero existimaret, teste MATTH. per hunc ipsum schisma esse ortum inter Græcam & Latinam ecclesiam, odium etiam obstinatius papam inter & imperatorem esse cœpit, idque evasit atrocius, quod ope Wintoniensis in Anglia Episcopi, cum Henrico III. opera Papæ conciliati, Regis hujus in suas partes favorem posset sperare futurum ampliorem, eundem vero in Fridericum minus deinde propensurum, ut ipse de pace, Friderico concedenda tractatus abrumperetur effecit. Quod enim ex MATTH. PARIS. discimus, obtulerat Imp. papæ, ut legali a se missi
omnia,

omnia, quæ prolixo pollicitus erat scripto, executioni mandanda tum in animam Imp. jurarent, cum hi literas absolutio- nis ab eodem obtinuissent, quod ipsum tanto erat æquius, quanto gravior clades Christianis imminebat & a Saracenis & a Tartaris, verum, cum huic postulationi contradixisset papa, id Friderico extorsit, ut ille declararet, sese de conventis ni- hil esse præstiturum.

§. XI.

Possent hæc ipsa Friderici declaratio non nemini ea vide- ri, quæ abruptum hoc pacis negotium soli Imp. imputaret, Papam vero penitus absolveret; verum si ea, quæ interea egit *Innocentius*, sub examen vocemus, parum abest, quin omnem huic discordiarum harum vere deplorandarum causam adscri- bamus. Cupidus pacis Imp. omnes portus & civitates iis mu- nierat custodiis, ut adversariorum nemo eos posset pertransi- re; has ut eluderet *Innocentius*, hæc de pace negotia admisit, imo an. 1244. octavo ante festum nativitatis S. Johannis Ba- ptistæ cum omnibus cardinalibus ad civitatem Castellanam, ut vicinior Imp. de pace tractaret, revera ut in Galliam elapsus ea, quæ arcano presserat animo, consilia exequeretur. Ut enim non infimulemus *Innocentium*, atque si amore munerum, quæ delaturi ipsi erant illi transalpini, ipsis sinum aperiens oc- currisset; quis credat, cum vigilia Apostolorum Petri & Pau- li Sutrium venisset, & sicut ipse dicebat, significatum ei fuis- set, ea nocte ipsum a trecentis Tuscis militibus comprehen- dendum, relictis papalibus vestimentis, leviter armatum, ma- nu non vacua equum ascendisse velocissimum, & vix cubi- culariis consciis ea nocte ita properasse, ut a primo somni tem- pore ante ipsam primam quatuor & triginta milliaria pertran- siverit, & ad Civitatem Veterem pervenerit; Papam hæc ipsa non animo dudum decreuisse, & sub spe pacis icendæ hanc si- bi fugæ occasionem præparasse? imprimis quod in ipso portu

fugæ suæ paratas tres & viginti triremes, singulas Sexaginta viris perarmatas & centum & quatuor Remigibus ornatas exceptis nautis invenerit. Sane classem hanc, alia agentem, eo appulisse, nequaquam credi potest, cum armatis his præfuerit ipsa *Genuensium Potestas*, ut ait MATTHÆVS: quem ipsi *admiratum vocant*, & *majores civitatis*, qui se omnes *gloriantur esse vel affines vel consanguineos papæ*, imo omnes id concordibus egerint studio, ut *Innocentium incolumem Genuam deducerent*.

§. XII.

Certe quin trecenti illi Thusci milites inter fabulas sint referendi & vanos fugæ pontificiæ diu deliberatæ prætextus vix dubitamus, cum Fridericus ipse, audita hac papæ fuga, auditus sit dicere: fugit impius nemine persequente, quod sane in tantum Imp. nulla potuit cadere ratione, si ipsa papæ captivitas electo jam milite conclusa ab eo fuisset, præcipue cum non improbabilis Imp. esset factum hoc excusandi ratio, quod infra patebit. Verum talia spargenda erant, ut vulgus, quod opinione regitur, tanto facilius adversus Imp. excitaretur, isque manifestus Ecclesiæ (k) persecutor haberetur, imo consentientibus Mediolanensibus, Liguribus, Italis quibusdam & Romanis ipsi Friderico anti-cæsar opponeretur, qui fultus ope tam prælatorum quam Magnatum bellum moveret contra Imperatorem.

§. XIII.

(k) Quid voce *ecclesiæ* intelligi debeat notum quidem est, id tamen dolendum, quod eo se nomine solum sæpe papa intelligat, ut sub ea voce horrendas simplicibus ingerat notiones, qui, dum errata humana & politica papæ a se amoliuntur Summi Principes, per hoc ipsum ecclesiam credunt impeti, ipsos papæ adversarios licet laudatissimos impiorum numero habere solent.

§. XIII.

Genuam appulsus *Innocentius* id primum curavit, ut suas ipse partes, adjunctis quibus posset amicis opibusque corrogatis, confirmaret. Hinc, datis hoc anno 1244. IV. Cal. Aug. Genuæ, literis Angliæ Prælatos hortatus est, ut Regi Henrico III. subsidium liberale ferrent, vicissim ab ipso rege petens, ut ipse, vicem reddens domino Papæ, diligenter insudaret, ut prælati Angliæ ad contributionem, Domino Papæ faciendam, consentirent: ad minus ad compromissionem & festinam solutionem decem millium marcarum. Verum teste MATTH. PARIS. nihil publico obtinuit consensu, et si variis ad eum extorquendum uteretur artibus. (1) Conversus deinde ad reditus beneficiorum vacantes occupandos. De quorum collationibus & ablationibus, ait idem Scriptor, ob reverentiam Romanæ ecclesiæ honestius est omittere, quam propter scandalum enarrare. Qui tamen infra memorat, ab hoc Martino suspensos omnes a collatione beneficiorum, triginta marcas & supra valentium, donec illius satisfactum esset cupiditati, præclaro sane argumento, quid ea tempestate maxima

C

mæ

(1) Non parum ad hanc repulsam contulere Walterus ab Ocra alique solennes nuncii imperatoris, qui Londinum venientes Friderici atulere epistolam, & frustra obmurmurante Martino, ut prælegeretur coram Rege & toto concilio, obtinuerunt. In hac enim cum Imp. & se de contumacia excusasset, asserens se humiliter justitiæ parere & mandatis ecclesiæ stare & satisfacere velle, cui rei, testimonium ferebant Imp. Constantinop. & Comes Tholosanus. Cum Imp. protestatus fuisset, quod papa proterve exigeret se seisi civitatibus & castris & terris quibusdam, de quibus non constaret, si pertineant ad Imperium vel ecclesiam, & incarceratos quosdam liberari antequam Imp. absolveretur, ideoque timeret laqueis papalibus alligari, supponeret se dispositioni & censuræ Regum Franciæ & Angliæ ac barnagii regnorum eorundem, ... facile multorum animi Friderico sunt conciliati.

mæ iis curæ fuerit, qui sub specioso Ecclesiæ aut sublevandæ aut ornandæ titulo suas, nepotum suorum & asseclarum suorum res quocunque promovebant artificio.

§. XIV.

Neque minorem teste MATTH. PARIS. *Innocentius* impendit operam, ut Regem Galliæ in suum flecteret favorem, hinc enim Regiæ Matri Blanca id indulserat privilegium, ut ei cum XII. mulieribus cisterciensium cœnobia orandi causa intrare liceret, Monachos vero jusserat flexis genibus & junctis manibus Regem deprecari, ut Romanum Pontificem contra insultus Imp. (quem in Epistola filium sathanæ, licet sub tutela Papæ educatum, nominabat) tueretur, in regnum eum reciperet. Qua arte id a Sapiente & Sancto obtinuit principe, ut is polliceretur, quod quantum honestas permetteret, injuriam Imperatoris vellet propulsare, & ex consilio Optimatum papam ipsum in regnum suum recipere.

§. XV.

Augebatur interea eorum numerus, qui profugum ab urbe *Innocentium* Genuæ assequebantur & non vanam triumpho spem eidem injiciebant, unde teste *Matthæo* Genuenses & cognati & affines ab eo jam exigebant reditus ad usus filiorum & nepotum suorum, præcipue ex Regno Angliæ sibi auferendos. Qui etiam, aurum & argentum sitienter cupientes, ut Anglis & Francis & ipsis conterminis, munera ferentibus, gratanter occurreret & nulli offerenti manum negaret, & ad Imp. confusionem concilium generale convocaret, suasere. Quod vero Imp. vias omnes in Galliam ducentes sepsisset, novo astu is eludi debuit. Simulabat *Innocentius* se in Italia hyemem exaturum, quare, languescente jam custodum vigilia, armatorum Genuensium agmine stipatus, die nocteque iter conficiens, æstate jam declinante Lugdunum sese contulit; datisque inde an. 1245. mense Januario literis, quas Archiep. & capitulo Se-

lo Se-

lo Senonensi, Regi Gallia, & Episcopo Ostiensi aliisque Cardinalibus inscriptas legere est *Tom. VII. Conc.* Anglis vero, apud *Matth.* p. 666, Concilium ad Festum S. Johannis Baptistæ indixit, ut terræ sanctæ discrimini, & afflictio Imperio Romano propere valeat subveniri, & remedium contra Tartaros aliosque contemtores fidei & persecutores populi Christiani inveniri, & negotium, quod inter Ecclesiam & Principem fertur, possit componi.

§. XVI.

Quod si has ipsas *Innocentii* literas sub censuram vocemus, laudanda videri potest ea Papæ hujus sollicitudo, qua Palæstinam & regiones Tartarorum incursionem expositas complectitur, verum si ea, quæ §. X. eidem Imp. obtulerat suo solius ductu præstanda, dummodo suis in Imperio & regnis suis juribus secunda vita frui posset, & lata eam ob causam excommunicatio ab *Innocentio* solveretur, non videmus, cur tanta mole, tot sumtibus causæ hæ, frivole satis in concilium hoc adductæ, Lugduni debuerint pertractari, nisi quis dicat eas ideo hic relatas, ut sub sacro hoc & glorioso velo, Papæ hostis, Imperator, tanto cum majori plausu throno pelleretur. Indicant hoc ipsum non solum ea, quæ *Matth. Paris* pag. 660. memorat, *Innocentium*, cum Martinus ejus in Anglia quæstor suum ex eo regno exilium narrasset, infrenduisse & ira excanduisse, recolentem, quod tam Rex Francorum, quam Arragonum ingressum Regnorum suorum vetuissent ipsi postulanti, nec Rex Anglorum adventum suum in Angliam acceptasset, & voce susurra, oculos obliquando & nares corrugando dixisse: *expedit, ut componamus cum Principe vestro, ut hos Regulos conteramus recalcitrantes, contrito enim vel pacificato dracone, cito serpentuli conculcabuntur*; sed etiam, quod ipse *Innocentius*, non expectato concilii initio, ineunte quadragesima, sua voce Imperatorem per totam Franciam, pro-

am, propter novas quasdam invasiones, quas fecerat in suos confanguineos & personas ecclesiasticas, excommunicatum Lugduni declaravit. (m)

§. XVII.

Nolumus quidem id, quod diebus Rogationum in Vestiario Papali accidit incendium, ominis loco accipere; nolumus etiam cum nonnullis id ipsum dolo incensum asserere, ut Papæ eo probabilior suppeditaretur occasio, pecuniam petendi & extorquendi a Prælatibus ad concilium venientibus. (n) Lau-
dare

(m) Ope Cardinalium aliquorum aditum sibi in Angliam præpararat Papa, quod, ut habet MATTH. PARIS. ad ann. 1245. excellentissimus honor foret & gloria immortalis, si dominus papa Anglorum finibus personaliter appareret; imo ipse *Innocentius*, eodem teste an. 1244. etsi David Princeps Northwalliæ se suamque terram ecclesiæ Romanæ resignasset, & literas ab *Innocentio* non sine magnæ pecuniæ effusione obtinisset, iratum Henrici in Davidem animum armaque parata dissimulasset; nihilo tamen minus ab ipsis amicis Rex prohibitus fuit papam recipere, dicentibus: quod satis imo nimium, jam suorum usuris & Romanorum & Italicorum rapinis & Simonibus Angliæ puritas esset maculata, quamvis non ipse Papa coram bona ecclesiæ & regni dissipet & prædetur; pari etiam ratione & regni Francorum introitus & Arragonum denegabatur. Infamia enim curiæ Papalis id promeruerat, cujus fætor usque ad nubes fumum teterrimum exhalabat. Hæc PARIS. p. 655.

(n) Quam miseram ea excommunicatio pontificia vim habeat, quæ rerum temporalium, earumque controversarum occasione a papa fertur, alibi dictum jam est in vita Callisti II. certe excommunicationem eam non ubique talem habitam docet nos Sacerdos Pavifinus, qui jussus Imp. excommunicatum declarare, die solenni, in Parochia sua hæc edixit: audite universi accepti in mandatis, ut candelis accensis & pulsatis campanis in Imp. Fridericum excommunicationis feram sententiam, causam autem ignorans, non ignoro gravem controversiam & odium inexorabile motum inter eos, scio etiam, quod unus illorum alii injuriatur: quis, cui, nescio. Sed illum, in quantum se mea extendit potentia, excommunico, & excom-

dare tamen nequimus illam *Innocentii* in suos consanguineos vel affines benevolentiam, qua quibusdam beneficiis Ecclesie Lugdunensis vacantibus eosdem inconsulto Capitulo satagebat exornare, potius Masculum illum Capituli hujus animum memoria censemus dignum, quo ipsi Papæ coram resistere non formidavit, non ultra etiam progredi auso, sed, cum Ostiario Pontificio a cive Lugdunensi manus amputata esset, qualicumque vindictæ, quam Philippus de Sabaudia custos pacis ecclesiasticæ procuravit, modeste acquievit, æterna dignus memoria, si in omnibus parem scivisset animi moderationem declarare.

§. XVIII.

Interea præfixus Concilio (o) terminus appropinquabat, quod Papa, multis jam Prælatibus, licet non omnibus, præsentibus, die Lunæ post Nativitatem S. Johannis Bapt. inchoandum censuit. Proponebatur quidem a Patriarcha Constantinopolitano Latinorum ex Imperio Constantinop. expulsio; ab Anglis postulabatur, ut Edmundus Archiep. Cantuariensis Sanctorum albo infereretur, verum ut ad priora tacuit *Innocentius*, ita Anglorum postulata in alia rejecit tempora, quod diceret urgeri se ab aliis, dilationem non capientibus, Ecclesie nimis arduis negotiis, quæ expedienda in hoc hominum cœtu prius essent. Totus nimirum Sanctissimi Patris animo infixus erat Fridericus. Nec deerat huic Domino suo Thaddæus de Sueffa, jam nuper ad eundem Papam legatus, & pro pace Imp. inter & Papam restituenda offerebat Friderici nomine,

C 3

quod

excommunicatus denuntio, alterutrum illorum, videlicet ipsum qui alii injuriatur, & absolvo injuriam patientem, quæ damnosa est Christianitati.

(o) Scripti hujus modum excederemus, si ea, quæ *Innocentius* munera extorsit ex ipso MATTH. PARIS. p. 661, & seq. hic describere vellemus.

quod ad unitatem Ecclesiæ Romanæ Græcum esset revocaturus imperium, Tartaris, Chorosminis & Saracenis sese potenter oppositurus, statum Palæstinæ suis sumtibus reformaturus, ablata Romanæ ecclesiæ restitutus, & de injuriis satisfactorus. Verum quid ad hæc *Innocentius*? arcanorum velut animi Cæsarei conscius hæc ipsa promissa nunquam vel nusquam adimplenda vaticinatur, addens, se acquieturum, si pacem nuper in animam Friderici juratam, secundum formam præstiti juramenti teneat; quis ea ab Imp. adimplenda spondere vellet, insuper rogabat, & cum duos Reges Francorum & Anglorum sponsores obtulisset Thaddæus, Papa eos rejecit, quia si Imp. pactis non stetisset, oporteret eum animadvertere in tres, quibus non sunt seculari potentia majores, inimicos. Ex quibus tanquam promulsive aliqua, nam omnia Concilii illius acta describere non licet, jam facile colligemus; quis conventus hujus finis demum esset futurus. Postquam enim suos dolores quinque Christi vulneribus comparasset, Imp. præcipue hæreseos & sacrilegii accusabat; Quas accusationes cum Thaddæus generose satis & vere diluisset, productis etiam literis Papalibus bullatis, quæ accusationibus hisce contraibant, id quidem exceptionis vice adhibitum est, quod Papales literæ conditionales, Cæsareæ absolutæ fuissent; ita tamen, ut replica non deesset Thaddæo, ostendenti, neque ea, quæ in Papalibus literis fuissent promissa, esse observata. Verum quidquid Thaddæus aliique Imperatoris legati laborarent, agente solo *Innocentio*, nam vix aliorum mentio legitur, diris omnibus devoveri & throno Imperiali pelli debebat Fridericus.

§. XIX.

Actum id fuit XVI. Cal. Augusti, non sine omnium præsentium & circumstantium stupore & horrore, prælecta Excommunicationis & depositionis in Augustum ipsum sententia sane atroci, &, quidquid Thaddæus aliique procuratores

res

res Imp. ejularent, quocunque dolorem suum testarentur argumento, ipse Papa & Prælati assidentes, candelis accensis in Imp. terribiliter fulgurarunt, ait *Matth. Paris* p. 672.

§. XX.

Prælecta in Concilio ante atrocem hanc sententiam fuerat Epistola *Innocentio* ab Ordinibus Angliæ inscripta, qua ab Italis regnum suum enervari, 60000. Marcarum argenti, præter alia diversis inauditisque artibus Anglis extorta, quotannis e regno evehi querebantur, remediumque postulabant, verum ad eam tum non respondit quod tam arduum negotium matura indigeret deliberatione; quæ ipsa deliberatio in id usque tempus protracta videtur, quo Imp. condemnatio in ipso Concilio solenni esset ritu peracta. Hoc enim impetrato, Angliæ procuratoribus distincte satis ab ipso *Innocentio* responsum, postulata eos ex voto neutiquam impetraturos. Quod teste *Matth. Paris*, etsi nosset legatos hosce jurasse, tributum nunquam curiæ Romanæ pendendum, tacitus ipse tempus rigidius agendi, respirante prosperitate, expectaret. Ne tamen quidquam sua dignum providentia omitteret *Innocentius*, chartam Johannis Regis de tributo annuo Pontifici pendendo, a supra memorato incendio combustam, renovari & appensis omnium Angliæ Episcoporum sigillis voluit approbari. Insigni sane documento- quid istiusmodi sacris conventibus quæsitum inprimis fuerit. (p)

§. XXI.

Quæ præterea hoc in conventu Lugdunensi quoad expeditiones cruciatas ad Græciam Latinorum dominatui restituendam,

(p) Decreverat quidem *Innocentius III.* an. 1215. ut elapsis quin-
quaginta ab hoc concilio annis novum celebraretur, in quo omnia
collapsa essent reformanda & restituenda, sed *Innocentius IV.*
hoc ipso concilii hujus decreto se obligatum nequaquam credidit.

tuendam, aut Palæstinam Saracenorum jugo eripiendam, aut Hungariam etiam a Tartarorum incursionibus immunem præstandam, acta sint. prolixè satis exhibet *Tom. VII. Concil.* p. 390. & seq. uti & *Matth. Paris.* ad an. 1245. qui postremus non diffitetur Parlamentum Regni Anglicani diserte protestatum adversus illam clausulam, quod vigesima omnium reddituum ecclesiasticorum tribus annis continuis a Papalibus collectoribus in usum belli colligenda destinata esset, (q)

§. XXII.

Innocentius vero noster in id totam impendebat mentem, ut præcipitem jam in ruinam Imp. qua posset arte everteret; hinc rejiciebantur non tantum ex conditiones, quibus *Fridericus*, dummodo pacem posset obtinere ab *Innoentio*, translato in filium *Conradum IV.* imperio, sese non solum asserendæ *Latinis Græciæ & Palæstinæ*, sed etiam *Tartaris* ex toto orbe *Christiano* ejiciendis dedicabat, (r) sed ipsa etiam *Ludovici S.* aliorumque pro *Imperatore* intercessionibus, ex ipsa expeditione sacra petita, susque deque habebantur. (s) Imo, cum *Anti-Cæsar* in *Germania* eligendus esset, & onus illud a se amoliretur *Henricus Raspo Landgravius Thuringiæ & Haf-*

(q) Divitiarum cupiditatem sane loquuntur omnia, hinc enim Imp. missis ad Reges varios Epistolis suadebat, ut Clerus ad Apostolicam vivendi rationem redigeretur, ipse *Innocentius*, ab abbate *Cluniacensi* donis inæstimabilibus donatus, eidem facultatem dat decimam ex omnibus ordinis sui cœnobiis per annum extorquendi *MATTH.* p. 680. & 685. qui pag. 691. Subjungit, Papam in secreto illo colloquio *Cluniaci* cum *Ludovico IX.* instituto iratum *Angliæ* regi ejusdem everisionem suo etiam animo concepisse, imo *Ludovico*, licet detrectanti, persuadere voluisse, ut ad *Henricum* evertendum suam conferret opem. Ex quo ea, quæ Imp. scripserat, plane satis illustrantur conf. id p. 698. seq. p. 705, & p. 716, & alibi.

(r) *Matth. Par.* ad. an. 1246. pag. 691.

(s) *Matth. Par.* p. 697. & p. 702. seq.

Hassia, missa, ad eundem a Papa ingenti pecunia, adjectis Italorum hortationibus, Episcopis aliisque aliquot in Henrici favorem tractis, non is tantum an. 1246. sibi persuaderi patiebatur, ut Clericorum Rex & esse & dici vellet, Herbipoli electus (t) sed & ipsi Suevi, Imp. haftenus fideles, pontificia pecunia inducti sunt, ut Conradum Dominum suum, cum hoc Henrico ad Francofurtum decertaturum, desererent transfugæ multo foedissimi (u).

§. XXIII.

Non solum ipsa electio Henrici, sed ejusdem etiam de Conrado victoria non parum recreaverat *Innocentium*; verum cum Henricus an. 1247. suadente Papa Aquisgranum properaret, insigni cum apparatu (x) coronandus, cæsus a Conrado non levem eidem injecit curam, præcipue cum paulo post nulli lamentabilis, ut ait Matth. p. 726. muliebrem animam Wartburgi efflasset, ultimus ex Mascula Ludovici Barbati stirpe Thuringiæ & Hassiæ Landgravius. Ut enim Fredericum, ejusque familiam penitus profligaret, nihil non egit *Innocentius*; imo ut orbem Christianum ad persequendum Fredericum, proposita etiam omnium peccatorum remissione, animaret, quatuor dimisit cardinales legatos amplissima potestate instructos, unum in Germaniam, alium in Italiam, in Hispaniam, imo in Norwegiam alios, in Angliam vero monachos Franciscanos & Dominicanos. Quos inter Cardinalis, Sabinensis Episcopus, Haquino Regi Norwegiæ Imperium obtulit, sed magna cum sapientia turbulentam dignitatem declinanti. Conversus inde ad alios Germaniæ Principes eandem retulit repulsam, donec Wilhelmus Hollandiæ Comes induci se passus est, ut oblatam Novesii imperatoriam dignitatem admitteret, (y) imo ut vindicaret illatam ptopinquo suo necem,

D

cem,

(t) Matth. Par. p. 697. (u) Matth. Par. p. 704. (x) Matth. Par. p. 704. (y) MATTH, PARIS, ad an. 1247. pag. 726.

cem, e furca suspenso, non Fridericum modo die Parasceves adeo horribiliter excommunicavit, ut audientibus & videntibus horrorem incuteret, sed & missis ad Mediolanenses & Parmenses literis eisdem ad seditionem teste eodem MATTH. excitavit. Ausus etiam, quod, exhibitæ ab eodem MATTH. p. 712. Imperatoris literæ docent, in eundem mittere sicarios, & cum ea res mature proderetur, teste eod. pag. 718. fraudulenter procurare, ut duo assassini in Papam missi dicerentur, neque tamen Lugduni pœna afficerentur, sed Romam ablegarentur, ibi iudicium propter crimen læsæ majestatis subituri. Nam similia sibi a suis suasa, a se tamen rejecta, semper fuisse, testis est Imp. in literis a MATTH. pag. 718. relatis.

§. XXIV.

Quin legatus Pontificius fretus accepta ab ecclesiis Germaniæ pecunia contra Conradum Regem arma undique circumferebat, stipatus 10000. armatorum exercitu, nequam tamen negligens teste MATTH. 733. fulminatis sententiis thesauros undique ab omnibus emungere, ita ut etiam cogerentur campanas suas redimere. Quæ ipsa austeritas adeo non terruit Aquisgranenses, ut, fidei Imp. juratæ memores, Wilhelmo, coronam in ea urbe accepturo, urbem clauderent, & durissimam obsidionem huic præferrent perfidiæ, demum an. 1248. aucto a cruce signatis obsidentium numero, urbs sese dedere, Wilhelmumque die omnium SS, deinde coronatum sua intra mœnia recipere cogeretur (2).

§. XXV.

(2) MATTH. PARIS. ad an 1247. pag. 730. ait: *Dominus Papa infinita pecunia promissa, de ecclesia undique extorquenda & ad Friderici confusionem collecta diligentissime procuravit, ut Wilhelmus Comes Hollandiæ in Regem eligeretur . . . considerans vero quod in creatione Landgravii non modicum thesaurum amiserat, qui poterat stuporem cordibus audientium ingenerare, thesaurum promissum novo electo prudentius transmittere studuit ub*

pag

§. XXV.

Quod vero eodem anno 1248. Parmenses, ad ultimas redacti miserias, absente Imp. eruptione facta, ejusdem cæderent & fugarent exercitum, Thaddæum de Sueffa, imperialis Palatii judicem, melioremque Jctum & oratorem, quam belli imperatorem caperent & in frustra conciderent, Germania etiam Imperatore, faltem umbratili, instructa esset; an. 1249. Cardinalis Remerius horrenda profecto epistola, quam exhibet MATTH. PAR. pag. 761, Europæorum animos in Friderici odia excitare allaboravit, verum, cum, ut idem pag. 703, ait: *Papales ejusdem Friderici adversarios avaritiæ, Simonie, usuræ aliorumque vitiorum maculæ coinquinassent, qui, inter cætera deliramenta, cruce signatos impudenter exagitant, nunc sub pœna excommunicationis ad terram S, nunc ad Imperium Romanicæ, nunc innuendo, ut super Fridericum insurgant, elaborant, & quod detestabilius judicatur, prædicatores & minores facientes suos telonarios, viatica cruce signatorum quovis extorquent argumento: ipse Fridericus infinitos manifestos & quam plures occultos, in odium Romanorum, invenit fautores & adjuutores: Ad ipsa veneficia animus est adjectus, & ipse Petrus de Vineis, familiarissimus Imp. consiliarius & singularis animæ illius custos, a Papa ad hoc facinus muneribus enervatus & pollicitis maximis inclinatus, Imp. graviter infirmo a Physico suo venenum lethiferum & efficax tum potioni, tum etiam balnuo misceri, voluit &, potionem sumere cum jussus nollet medicus, sed simulato lapsu eam in terram effudisset, reliqua vero potionis parte mortis damnati statim periissent, utrumque facinus fatentem, me-*

D 2

dicum

pag. 735. subdit, *Ducem Saxonie & alios huic electioni non concessisse, unde majus schisma enatum in populo dicente ecce militia contra sacerdotium præ superbia, ecce sacerdotium eadem causa contra militiam.*

dicum quidem suspendi, Petrum vero oculis privari & Pisanis tradi jussit, qui ad columnam ligatus, caput fortiter alidens, seipsum excerebravit. Verba sunt МАТТН. p. 764.

§. XXVI.

Fatemur quidem, МАТТН. tanta facinora Divino permittere arbitrio, non ausum suo calamo tam enormia Papæ imputare, verum tamen quæ fuerit *Innocentii* in Imp. ira vel ex hoc liquet, quod Fridericum, cruce signatos sub Ludovico IX. fame pressos licet submissis maximo numero alimentis recreasset, ideoque ab ipso Rege ejusque matre Blanca Papæ commendaretur, ut ob hoc tantus ecclesiæ benefactor & amicus non ultra impugnaretur aut diffamaretur, sed in gratiam reciperetur, quod Imp., tales preces spernens, Papa magis ac magis impugnarit; esto ubique deteriore calculum reportaret. Teste МАТТН. p. 765. quid quod capto a Bononiensibus Friderici Filio Ensio, cum Imp. honestam pacis formulam offerret *Innocentio*, hic lætificatus, ait idem p. 767. de adversitatibus ejus, noluit, quæ obtulit, acceptare, unde multorum incurrit indignationem, qui cœperunt eidem Imp. adhærere & superbiam servi servorum Dei detestari. Ut adeo mirandum nequaquam sit Anticæsarem Wilhelmum an. 1250. a Conrado fugatum in Hollandia latuisse, & Parmenses Regienses & Bononienses an. 1250. pacem cum Imp. desiderasse, Papalem detestatos rebellionem. Teste eod. p. 773. & 788. seq. præcipue quod ad omnia se promptum offerret Fridericus, Papa vero in odio Imp. permaneret, adeo ut diceretur: *quod Papa sitienter desiderabat ipsum, quam magnum draconem vocabat, pessundare, ut ipso conculcato Reges Francorum & Anglorum nec non alios Christianitatis Reges (quos omnes regulos & serpentulos esse dicebat) facilius exemplo Friderici conculcarent, & bonis suis, ac prælatos eorum, ad libitum spoliarent.* Conf. idem pag. 798.

§. XXVII.

§. XXVII.

Quod vero in his rerum suarum circumstantiis non vane metueret *Innocentius*, ne a potentiore jam *Friderico Lugduni* occuparetur, cum aliis se regnis exclusum sciret, imo infelix illa Gallorum in expeditione cruciata clades solius Papæ avaritiæ a Comitibus *Pictaviæ & Provinciæ* objiceretur, a Rege quidem *Angliæ*, sed frustra, petiit, ut *Burdegali* commorari ipsi liceret. *MATTH.* p. 803. Verum ab hoc demum *Friderici* metu liberatus est, dum *Fridericus Principum mundi maximus, stupor quoque mundi & immutator mirabilis*, ut idem pag. 804. loquitur, *absolutus a sententia*, qua innodabatur, obiit die XIII. Decembr. Novimus quidem esse Scriptores, qui veneno accepto cum morte luctantem a filio naturali *Manfredo* injecto pulvinari suffocatum scribant; verum quod *COLLENTIVS* contraria omnia asserat, ipsum etiam testamentum, a moriente *Friderico* confectum, & a *MATTH. PARIS* p. 812. exhibitum, *Manfredi* hujus meminerit, scriptorum horum narrationem dubiam esse asserimus, utpote quæ ortum ex veneno, Imp. alias parato, suum duxit.

§. XXVIII.

Tanto liber adversario *Innocentius*, testamentum *Friderici* non attendens, imo ægre ferens, quod Imperium, scilicet Regionem a *Pavia* ad *Siciliam* usque *Manfredo*, tanquam vicario *Conradi* ad 70. annos concessisset, *Lugduno* sibi discedendum duxit, & *Italiam* esse petendam, egit id an. 1251.

(aa) *Genuam* tetendit, ubi *Decretalem de exemptione non publi-*

D 3

publi-

(aa) Memorandum est *Continentiæ Clericalis*, testimonium, quod ex ore *Hugonis Cardinalis Lugdunensibus* jussu Papæ valedicturi servavit *MATTH.* p. 819. dixit enim: *amici, magnam fecimus, postquam in banc urbem venimus, utilitatem & eleemosynam. Quando enim primo huc venimus, tria vel quatuor prostibula invenimus, sed nunc receden-*

publicavit tantum, sed suam confirmaturus partem Neptium suarum matrimoniis Sanctus Pater complures a legitimo Domino studuit sejungere, Beatricem Fieschiam Thomæ de Sabaudia, excommunicatione protinus soluto, larga dote ornatam, despondit, aliam Domino de Turchepin cum dote 20000. Marcarum argenti elocavit. Relicta vero in excommunicatione ossa Friderici, Conradus IV. Gerardus Massiliensis cum civibus Massiliæ, Cremonenses & Papienses & multi alii, in die Cœnæ excommunicati. Mediolanensibus vero verbis & donis placatis, Perusiam discessit; hac in urbe An. 1252. circa festum S. Johannis Baptistæ Cardinales aliique *Innocentii* amici, teste MATTH. p. 840. eidem pacem & concordiam cum Friderici filiis suadebant quidem, idque quod, si discordia non componeretur, Ecclesia imo orbis Christianus discrimini pateret & everfioni. Neque ab eo consilio alienus fuit *Innocentius*, utique animo convictus, tam pravam non esse Imperatoriam familiam, atque ea descripta frequentissime fuerat, sed cogitavit, sibi gratiam filiorum Friderici conciliare, & eis per matrimonialem copulam suarum consanguinearum confœderari. Verum, Conrado IV. ex veneno præbito decumbente & veneficium id Papæ adscribente, Henrico vero ex Hohenstaufia & Anglicana familia genito impar hoc conjugium reprobante, pax ea summe laudanda ab *Innocentio*, neptium suarum promovendarum studio, rejecta fuit, quacunque etiam ratione suam deinde Conradus IV. testaretur innocentiam, teste MATTH. in *additamentis*.

§. XXIX.

cedentes unum relinquimus, verum ipsum durat continuatum ab orientali porta civitatis usque ad occidentalem. Sane ad corrumpendas tam amplæ civitatis mulieres non miramur tanta curialibus opus fuisse pecunia, quam omnibus mediis corrogatam omnibus paginis deplorat & indignatur MATTH. PARIS,

§. XXIX.

Potius teste MATTH. ad an. 1252. in Angliam misit Albertum, & Richardo, Principi sane opulento, regnum Apuliæ, Calabriae & Siciliae obtulit, *ut ipse Comes, Papæ militans, hæc omnia acquireret ad Papæ emolumentum, hujus fretus sophistica deceptione, qui dixit: hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* verba sunt ejusdem pag. 856. imo cum Richardus an. 1253. impia hæc oblata recusaret, non erubuit ad ipsum Regem Angliæ Henricum III. animum adjicere, cum Conradum IV. res suas feliciter in Apulia, occupata Capua aliisque, agentem per Johannem Maurum veneno tentasset. Interim Romani pertæsi absentem tamdiu ab urbe Papam, qui emolumentis inhians adventantium & finum aperiens muneribus vagus existeret, repetitis vicibus Romam evocabant, Perusinis etiam excidium comminati. Sed cum pecuniam a Romanis postulandam non ignoraret *Innocentius*, quam impugnando Imp. impenderant, Perugia digressus, Assisium divertit, repetitis precibus demum in urbem compellendus. Conf. MATTH. p. 879. & seq.

§. XXX.

Constitutus in urbe, cum populum ope Senatoris placasset, missis an. 1254. literis ad omnes Europæ Reges vetuit quenquam dignitatibus ecclesiasticis admoveri, nisi Philosophia saltem imbutum. Militem vero suum in Apuliam missum a Conrado cæsum mœrens intellexit, verum, cum ab Henrico III. Angliæ rege adjavaretur profusis opibus, sub duce Cardinali Octaviano, mortuo 21. Maji ex veneno Conrado, totam sibi Apuliam fere vindicasset, nisi Optimates regionis, vehementer indignati hæreditatem justo hæredi Conradino ereptam, Manfredum sibi præfecissent; qui collectis copiis ipsum copiarum Papalium ducem 2. Decembr. ad Foggiam gravi clade cecidit, Mortuoque eodem anno *Innocentio IV.* Conradini nomine avitam

avitam hæreditatem administravit. Incidit mors ea, ut MATTH. p. 897. loquitur *in crastino Nicolai apud Neapolim*, qui etiam refert, *Innocentium*, cum vidisset confaguineos lugentes, eos solaturum dixisse: *quid plangitis miseri? nonne vos omnes divites relinquo? quid amplius exigitis?* & hæc dicentem animam, districtum dei judicium subituram, exhalasse. Quam idem Scriptor p. 897. subjicit visionem, nos parum moramur, cum ipse de ea subdubitet, annon ex videntis Cardinalis phantasia ortum traxerit.

§. XXXI.

Pari ratione dubitamus de ea *Innocentii* ipsius visione, quam idem MATTH. ad an. 1254. refert p. 883. qua *Innocentius* volens Roberti Grosthead. Episc. Lincolnensis mortui corpus extra ecclesiam abjici, & ipsum tanquam ethnicum, rebellem & inobedientem traducere, nocte sequenti ab eo se correptum & lancea transverberatum vidit sensitque. Cum enim a MATTH. p. 870. integra referatur epistola hujus Episcopi ad *Innocentium* acerba satis & spiritu plena, pag. etiam 872. narretur, *Innocentium* ita plenum gravia satis adversus Robertum voce effudisse, ideoque monitum a Cardinalibus, ne hoc ageret, quod vera sint, quæ Episcopus diceret; cum deinde an. 1253. post acerbam papalis avaritiæ usuræque reprehensionem moreretur Robertus non sine fama sanctitatis, quæ Romam deferri facile potuerit, naturali sane modo istud *Innocentii* somnium oriri potuit & visionis præternaturalis speciem in multorum animis obtinere. Interea ut hunc *Innocentii* adversus Lincolnensem agendi modum nequaquam probamus, ita turbati Imperii eundem auctorem merito existimamus præcipuum. Etsi vir alias fuerit ab eruditione, CAVEO in *Hist. Liter.* p. 499. laudata, non exiguam meritis commendationem, quam olim forte ulterius exequemur, uti & non pauca alia, quæ a præfixo nobis fine & folii hujus angustiis impediti subticere nunc debuimus

T A N T V M

Coll: diss. A. 47, misc. 57